



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

IV. Rectoribus ecclesiarum lepra percussis dandus est coadiutor, qui curam habeat animarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

32. quest. 4.
Si vxorem.

quatenus si qui sunt in prouincia tua viri vel mulieres qui lepræ morbum incurrunt, vxores vt viros, viri vt vxores suas sequantur, & eis coniugali affectione ministrent, sollicitis exhortationibus inducere laboretis. Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctius iniungatis, vt vterque altero viuente continentiam seruet: & si qui contra mandatum nostrum venire præsumpserint, eos contradictione & appellatione cessante, vinculo anathematis adstringas.

Sed hoc, vbi de locis habitatis expelluntur ad solitaria: illud, vbi non. Vel hoc, quando tanta apparet macula, quod ex tactu timetur infectio: illud, quando non tanta.

CAP. III. *Idem Baionensi episcopo.*

Math. 5.

Quoniam ex multis auctoritatibus & præcipue ex euangelica veritate apparet, nemini licere vxorem suam, excepta causa fornicationis, dimittere: constat quod siue mulier lepra percussa fuerit, siue graui aliqua infirmitate detenta, non est propterea a viro suo separanda. Leprosis autem, si se continere noluerint, & aliquam quæ sibi nubere velit, inueniant, liberum est eis ad matrimonium conuolare. Quod si virum siue vxorem diuino iudicio leprosum fieri contigerit, & infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exegerit, est solvendum, cuius præcepti nullam in hac causa inuenimus exceptionem.

1. Cor. 7.

CAP. IV. *Lucius III. Lincolnienfi episcopo.*

Super eo vero quod quæsiisti de rectoribus ecclesiarum, lepræ macula adeo infectis, quod altari nulla possunt ratione deseruire, neque sine magno scandalo illorum, qui adsunt, ingredi ecclesias: hoc tuam volumus fraternitatem tenere, quod eis dandus est coadiutor, qui curam habeat animarum, & de facultatibus ecclesiæ ad sustentationem suam congruam recipiat portionem.